

Z ï  
7100





# ΕΠΙΚΗΔΙΑ

*Magnifici, Nobilissimi, ac Prudentissimi Viri*

**DN: JOBI à Stotternheimb/  
Hereditarii in Zungenhausen/ &c.**

Inter Consules inclytæ Reip. Erphordianæ  
Primarios Senioris,

*Post diuturnum, quem per integrum sesquian-  
num exemplo Jobi illius maxime patientis patienter  
sustinuit, morbum*

Luctuosissimo obitu ex terrestri corporis domi-  
cilio ad sempiternam beatitudinem tranquillè  
ac piè avocati

A. MDLXVII.

*VI. Id. Martii.*

*circiter VII. matuti.*


æternæ recordationis ergo consecrata

*Collegis, & aliis gratam piè defuncti memoriam  
mæstissimo animo recolentibus.*

Erfurti typis Martini Spangenbergij

**C**unctipotens dum cuncta rapi permisit Jobo,  
 Quæ feudi dederat lege tenenda prius,  
 Afflictus vivum patienti corde fovebat  
 Solamen, mala quod vincere cuncta potest.  
 Nempe futura dies spe talia damna levabat,  
 Quâ vitæ repetet mortua membra vigor,  
 Quâq; redemptorem cernent & sanguine Christi  
 Christicolæ capient dona parata sibi.  
 Hæc quoq; Collegæ morbo curisq; gravati  
 Solari potuit plurima damna fides,  
 In quâ deponens animam cum corporis umbrâ  
 Gaudia jam veræ vera quietis habet.  
 Is qui primus iter lethi patefecit & Orci  
 Semen humo positum carnis ad astra vehet,  
 Tempore, quo tumulos gelidæq; cubilia terræ  
 Pandet & innumeris vivida membra dabit.

*Hieronymus Brückner. D.*



**D**Etoto tristis, socer ô! sum pectore, quod mors  
 Te rapuit numero è Consulum ab urbe ferox.  
 Sum tamen ex animo letus, quod Numen Olympi  
 Æternæ vitæ gaudia summa dedit.  
 Tempore quo Jovæ supremo-cunq; placebit,  
 Te sequar ex mundo sidera ad alta poli.  
 Tunc tecum vultum volo, mi socer, ipse videre  
 Ejus cum plausu, lætitiâq; piâ.

M. Andreas Funecius amoris  
 ergò composuit.

## LATINUS.

**L**ustras jam miserâ, qua conditione creatus  
 Exequias mœstus, qui comitare pie.  
**L**ustras, grassetur ceu mors truculenter in omnes  
 Lustras, ut licitum est, impetere atq; duces.  
 Quid mirum? ecce sumus mortali semine creti,  
 Ah redit in cineres, quod fuit ante, cinis,  
 Sic consul **J O B U S** præreptus mortis ἀρέσφ est  
 Justitiæ sanctæ, cultor amansq; **D E I**.  
 O quoties visus miserorum audire querelas  
 In mystas clemens, in miserosq; fuit.  
 Expers curarum, Mathusalemica secla  
 Et pylios annos, vivere dignus erat.  
 Visum sed secus est **D O M I N O**, qui ritè gubernat  
 Omnia, quæ cœlum, terraq; lata tenet.  
 Et mortis mos est, curvati cuspide ferri  
 Horrificè egregios ah rescate viros.  
 En **J O B U S** clarus lachrymosâ valle laborum  
 Exemptus, cœli regna beata colit.  
 Christigenis veris nihil est felicius unquam  
 Quam coluisse **D E U M**, quam benè nosse mori.  
*Nobilis en cinis, ac sacra, salve consulis umbra,  
 Salve, iterum atq; iterum perpetuoq; vale.*

# GRÆCVS.

**Η**νίδε ΑΝΘΡΩΠΟΣ, σίπλει λάχα ἄγλαδὸν ΑΝΘΟΣ,  
Πορφυρέω θανάτω.  
Ου μοῖρα μ φθέρει σοφίη, δέμισ, εὐσεβὲς ἔργον  
Οὐ δε δικαιοσύνη.

Τῶ ΚΡΟΥΣΟΥ μεγάλη βασιλῆος χρήματα, ἔδε  
κλήματα, μοῖρα βλέπει

Τὼσ θήσκει ΓΩΒΟΣ γλυκερῶ δεδμήμενος ὕπνῳ  
Ἡνὶ πατρὸς πατρίδος

Ψυχὴ ἔρανόιο Θεῶ, νῦν χαλκοβαλέσ δῶ,  
Σῶμα δὲ γὴν ὑπέδου.

Αὐτόδι παυσωλὴν θαλερῶ ἰῶ θυμῶ ἀγαυῶ  
Ἐρ θαλίησιν ἔχει.

Ατρεκέωσ δέρκει πάτερσ κλυτὸν, υἱέσ' αὐτῶ,  
Πνεῦμα τε καὶ ἄγιον.

Σεμνολογεῖ μετὰ ἰῶν ξυμπάντων ἀγγελικῶν τε  
ὑψιμέδοντα χρῶν

Πάμμαχερ, ὅσ' δίαγει ὅσιον ζωὴν τε καὶ ἀγίησ  
Τὴν φρένα τερόμενος

Ἐν πατρίδι μακρῶ ἔλύμ. πω ἐόντι ἀληθῶσ,  
ὄλβια εὐλοσ ἔχει

Περόθε. ΘΕΟΥ μεγάλη δάλλει πάνυ αἰὲν ἀγῆρωσ,  
Σάββαλον ἱεὸν ἔχωμ.

*Quoniam Hebraici, Syriaci, & Maronitici Characteres in nostris χαλκογραφείοις  
desiderantur, placuit χάριτι φιλ. ἔβραυ. χαλδαι. συριακῶ ἐπιηδεύματος ex archivis  
Hebraicis, Chaldaicis, & Syriacis typis Romanâ togâ indutos & vestitos ad-  
jungere.*

SYRIA=



# SYRIACVS

**H**A ha mit bemschicho meran  
Atira I O B taba abun  
Erfurt leam vaschubecha  
Celila rabba nuchera  
Veschanni meta lehaiia  
Veleh it dalalam haiia  
Amin la Simataa-hi  
Cesech mata momunuhi  
Harce col bedalmanuta  
Benahi taman malcuta  
Ha me date beschubecheh  
Maran Iesua cehileh  
Ich malce amin denheve  
Vachafenan lech schemaie.

CHAL-



# CHALDÆVS. S

**T**ubahun hu bemaschicha  
**H**ajavemit bemaschicha  
Ger techeve hu lemaran  
Al cal panim merachaman  
Cach ha iob schilton marana  
Meta tabta bizbejona  
Kena schema cal iakira  
Vera eloha ilaa  
Hafhta achad scheleiata  
Et meleafrekapota.

HE-





# HEBRÆUS.

A Sre bemaschiach ascer  
Mot ci cullo Schalva ascer  
Leolam lo omna iehie  
Jehovah more veire  
Cen IOB jacir beth deber bo  
Veheled ofeb el El bo  
Temuta chel hon tachbula  
Lo bala os vemaala  
Cean vajikkah nahala  
Veor tamit vetachala  
Velapir na beschamajm  
Jehovah hosc Elohim.

*Arabs tacet jam, tempore  
Suo canet preconia  
DEI, virumq; insignia.*

*M. Modestinus  
Wedman.*

**L**uge clara domus jjam Stotternheimia! Luge  
 Curia cum populo, non minus ipsa schola!  
 Possessor, regimen, benefactor, tutor ademptus:  
 Vir pietate gravis: vir gravitate pius!  
 Hūic licet afflicto morbus diuturnior esset;  
 Lenior usq; tamen Job patiensq; fuit.  
 Curia, vota domus, populus, schola, ferte beato:  
 Gloria magna solō sit magis aucta polō.

M. David Zinccernagelius  
 Gymnasij Augustiniani Rector  
 & Nonarius.



## V.

**Q**uid resonant GERÆ mæstis loca cuncta querelis?  
 Plurima quid trepidus pectora luctus habet?  
 Hei Stodternhemia primaria gloria gentis,  
 Gloria Gerislui sic abit ampla fori?  
 Excitat & pompam lacrumarum flumine plenam?  
 Qualem vix seculo vidit HIERA parem?  
 STOTTERNHEIMIADES atrata incedite pulla,  
 Et merito generis jure dolete decus.  
 Vos & Hieria des vestrum deflete Patrum.  
 Tristia de functo so! vite justa viro.  
 Eni ha quem pietas ornabat, & inclita virtus,  
 Cui fors innumeras multiplicabat opes,  
 Quem DEUS ad summos quondam extollebat honores,  
 Ut gereret patrij sceptrum verenda soli.

[ Non

[ Non fermè ab similis fortune munere IOBO,  
Regni Edomitaram qui Dominator erat.  
Qui pecorum & pecudum magnos numerabat acervos,  
Dives ab agrorum fœnore, dives agris ]  
Siccine obit! placidâ claudens sua lumina pace,  
Migrat & ad superi mente theatra poli!  
Tanicie dignus! seris dignissimus annis!  
Ut strueret capta tecta operosa Dormus.  
Sed DEUS in medio jubet hanc subsistere cursu,  
Carnis & omnigena precipit ire viam.  
Ut patriam linquat, vitamq; domumq; superbam,  
Altera quum restet patria, vita, domus.  
Patria, vita domus nullis subjecta periclis,  
Perpetuis tibi nunc gaudet ovataq; bonis.  
Nunc illi stabilita quies, nunc videt inaneis  
Mundi divitias, nec remeare capit.  
Ossa quidem tumulus capit; at mens addita cœlo est,  
CHRISTUS in extremo junget utrumq; die.  
Corporis ille iterum propria cute vestiet artus,  
Ac dabit ætheriâ cernere luce DEUM.  
Ut dicat: meus hic, meus est hic ille Redemptor,  
In quo spes vivo sola relicta fuit.  
Hunc tueor, cui semper honos, cui gloria semper,  
Cujus in æternâ laude paratus ero.  
Quisquis es, observa fugitivæ tempora vitæ,  
Quisquis es, ô sursum dispice, disce mori.  
Et merito CHRISTI fidens terrena relinque,  
Tunc tibi vera Salus, tunc tibi certa Salus.

*animo lætifico posita*

M. Nicolao Girmaro P. L.  
Ecclesiaste Atsmansdorffino.

G

Nolito


**N**olito *Regimen Dei* verendum  
 Mirari, nitidas novasq; *formas*  
 Dum format, renovat, refingit, aptat,  
 Quas jam Terrigenæ canant ubiq;  
 Lingvis dulciloquis, fonisq; blandis.  
 Nolito *Regimen Dei* tremendum  
 Mirari, modò dum manu potente  
 Arctè *robera* perdomat propinqua.  
 Mirare aut *Regimen Dei* profundum,  
 Quando *fila* viæ caduca rumpit  
 Humanæ, ut jaceat molesta *massa*.  
 Non & *hoc* : Siquidem viâ hac trahuntur  
 Omnes, qui aspiciunt amœnitates  
 Orbis, qui innumeras opes recondunt,  
 Et qui dinumerant amœna secla.  
*Statterheimus* hoc docet; decora  
 Erat qui stabilis *columna pacis*,  
 Splendens legiferi & *Decus Theatri*:  
 Cujus funereo micans *Hiera*  
 Deplorat gemitu modò sacratum  
 Fatum, & terrificæ necis sagittas  
 Spernit præcipites, ferasq; fraudes.

Aft

Ast illud : Redeat profundâ ab urna  
Cum corpus, simul & fruatur illâ  
Tandem prosperitate sempiterna.  
Ergò Tu in gelido cubes sepulcro  
Usq; quò Dominus vocet beata  
Ad Tecta ætherei loci cubantem.

*Pietatis & ornatibus ductus  
scripsit & apposuit*


*M. Sebastianus Heinrici  
Pastor Linderbacensis.*



VII.

**V**Ita recedit tempore turbido,  
Qui dignior seculo, editus inclyta  
A stirpe Stotternheimb / jubente  
Mercurio graviore virga,  
Quam plurimis, heu, flebilis occidit!  
Nobis ademtum curia tristior  
Luget: modisq; veste nigra  
Flebilibus revocat Thalia.  
Sed sint querelæ, sint lachrymæ procul:  
Vivit, per ævam posteritas eum  
Canet, nec ejus grande nomen  
Ulla dehinc removebit ætas.

*M. Justus Heckelius  
Gymnasij Augustiniani  
Corrector.*



VIII.

**S**cilicet omne sacrum Mors insperata profanat :  
Omnia funesta falce cruenta secat.  
Haut ignota loquor. Docet En! lacrumabile funus :  
Quo miserè periit SIDUS, & URBIS AMOR.  
Ergo THEMIS luge! Mæstog, inscribe dolorem  
Cordi sollicitum CIVICA TURBA tuo!  
Spargite PIERIDES urnam fragrantibus herbis!  
Spargite purpureis OSSA BEATAROSIS!  
M. Liborius Capsius  
Gymn. August. Profefs.

IX.

LESSUS

**S**I forte exsucco langventem corpore cernunt  
regem, Cecropiæ, quem venerantur apes,  
Tristi nonne fremunt examina tota susurro,  
mellea dejectis luget & avla favis?  
Conglomerantur apes, stridentq; strepentibus alis,  
nec lativeris depopulantur opes:  
Nos parili studio rumpentes pectore quæstus,  
CONSULIS heu! NOSTRI fata dolere  
decer.  
Quippe fuit vivens observantissimus æqvi,  
ac vigili PATRIÆ vertice gessit opes.  
Ergo prius retro sua cornua flectat HIERA,  
illius insignis quam moriatur honos!  
Gratitud: ergo  
M. Sebastiani Schiæteri  
Gymnas. August. Profefs.

**S**i qua dies unquam in gemitu lacrimisq; terenda,  
 In gemitu & lacrimis hæcce terenda dies,  
 Quâ male carceribus superantis gloriæ in ipsis  
 STOTTERNHEIMUM hausit somni homicida soror.  
 Eheu quam marent cives! marentq; Senatus,  
 Unius ille unus queis dolor est obitus:  
 Eheu quam marent tecta astrati æmula Olympi  
 Quæ cupiunt supremam imposuisse manum  
 Eheu quam luctu sociæ est, suspiria multo  
 Ægrè qua ducit cum gemitu, patria.  
 Ipse ego, luctu excors, cui hiant singulis ora,  
 Tendo hæc tristitiæ plenaq; vela mea.

M. Herfort, Förster.

**E**N bona cuncta rapit, mors invidiosa furendo  
 Et fixum, toto constat in orbe nihil.  
 Nil juvat, insignis pietas, germana fidesq;  
 Nil auri fulvi, plena crumena juvat.  
 Nil præclara valet virtus, prudentia, forma,  
 Florida nil ætas, membra decora nihil.  
 Mens addicta DEO contemnit spicula mortis  
 Aspicit & meritum. CHRISTE benigne, tuum.  
 Sic quocq; magnificus Dictator pectore firmo,  
 A STOTTERNHEIM nunc, Vicit Iobus ovans.  
 Qui commendavit DOMINO, cui summa potestas  
 Cunctarum rerum, vitam animamq; suam.  
 Quem pater ætherius flagranti corde, favore,  
 Diligit hunc miserâ valle vocare solet.

A Johanne Zacharia Schola Gregoriana  
 sive Mercatorum Rectore.

**T**VNE etiam moreris STOTERHEIM & lueticam urbem  
 Immergens terra mortuus infereris?  
 Tormina Te passum verè JOBÆ A susurrans  
 Rumor amarifluis sparsit ubiq; sonis.  
 Parserunt etiam Tibi MENSES totius anni,  
 MARTIUS exanimem sed jugulavit atrox.  
 O infelicem MENSIS damnabilis horam!  
 Qua tantum eripuit, non revocanda, decus.  
 Perdidit hæc summum gravis Erfurtina decorem,  
 Hac jubar amisit Curia nostra suum.  
 DVNZENHVSÆA Caput charum, mestissima sedes.  
 DVNZENHVSÆA soli fama Thuringiaci.  
 Eheu, quàm mihi Tenunc offers vasta videndam!  
 Eheu, quàm facies est miseranda Tibi!  
 Tu prius egregio stabas pulcherrima PATRE,  
 Iam priuata illo, tristis imago cluis.  
 Hei mihi, quanta tulit Tibi damna nefaria Morta!  
 Quanto meravit te mala Diua malo!  
 Mitigare tuos nequeo nec tollere planctus,  
 Vsq; adeò immodicas differor in lacrimas.  
 Vsq; adeò quoq; debachatur MARTIVS in me,  
 Et mihi cordolij tormina mille creat.  
 Si me Jhova etiam non isto exsoluerit æstu,  
 Mancipium tandem quid nisi mortis ero.  
 Sed quid detestor MENSEM? quid garrio multa  
 Febris inextincta de malitate mea?  
 Mors sua quemq; manet, Stadium hoc decurrimus omnes.  
 QVOD NATVM EST, LEGEM HANC, UT MO-  
 RIATUR, HABET.



Tu Stotternhemi cæli politeuma potitus  
Altius humanas despicias inde vices.  
Hic inter superos Tibi dempto sine resurgit  
Mixa salute quies mixta quiete salus.  
At vos ô proceres cælo pia turba recepta,  
A quibus hæc olim curia recta fuit:  
Et quorum Fame vis illibata manebit,  
Dum fluet & refluet flumine jhera suo:  
Excipite hunc dominum, non culpa conscius ille est,  
Quantum vis nimium vos cito visat heros.  
Excipite, in terris magnum regere ille Bieurgum  
Debut, in magno vos regat ille polo.

Summae condolentiæ ergò faciebam  
Ernestus Srida



XIII.

**H**ic quoq; lamentum decet in dulgere Patrono,  
Urbis qui nostræ magna columna fuit.  
Sed quid lamentis opus? ille vir ante Jehovam  
Cum magno gaudet gaudia NACKIADE.  
Hic ut conjunctim rexere fideliter, illos  
Sic junctos rursus Coeles olympus habet.  
O tandem hunc habeant omnes, qui sceptrā tenentes  
Æquali tribuant lance cuiq; Suum.

Johannes Gallus Stobæus.



XIII

G 4

Heu



XI II.

Επιχθόνιον.

**H**eu dolor heu lachryma Generosi in corda sagittas  
Mors misit gelidas, heu dolor heu lachryma!  
Heu dolor heu lachryma Sidus Patrie rapuerunt  
Spontè Dea triplices, heu dolor heu lachryma!  
Heu dolor heu lachryma Cultor virtutis & artis  
Discessit terris, heu dolor heu lachryma!  
Hunc igitur lugent meritò qui nobilitate  
Eulgent, nam soboles nobilitatis erat.  
Hunc igitur luget venerabilis ordo Senatus  
Publica nam sub eo res magis auclta stetit.  
Hunc igitur lugent virtute atq; arte politici  
His quia porrexit corde favoris opem.  
Quais defunctus talem, DEUS optime, nobis  
Concedas, vigeant curia, templa, Scholæ.

Christiana οὐρανὸς ἔβρα  
pangebāt & plangebāt

M. Caspar Berlisaus Erphordensis.

Prodiga


**P**rodiga Parca meis Elegis nunc parce, qverelis  
 Quandoquidem Tibi mens parcere nulla meis.  
 Criminis ipsa mihi subdis non Carminis addis  
 Materiam, madidis quæ peragenda notis.  
 Ecce etenim tacitas Lethææ mortis ad umbras  
 Concessit, Fato functus & officio.  
 STOTTERNHEIM, jacet heu! quis nam ille est, scilicet hic est?  
 Consilio cujus patria fulta fuit.  
 Scilicet emeritos qui nobilitatis honores  
 Intulit in gentis nobile plasma suæ!  
 Scilicet immensas Erffurtinæ Urbis habenas  
 Qui rexit nutu, non sine laude, suo.  
 Scilicet Aoniæ celebris Promotor harenæ  
 Qui totus Musis portus & aura fuit.  
 Scilicet hic patriæ Lumen, columenq; senatûs,  
 Auxiliumq; bonis, exitiumq; malis.  
 Hic est ( si Nomen nescis ) qui nominis æquat  
 Vim meritis, quibus effulsit ubiq; suis.  
 Ut cœ los humeris portat, nubesq; lacertis  
 Atlas, sydereæ proditor ipse domus.  
 Sic eervice sua, tulit hic STOTERHEIMIUS vrbis  
 Imperium : Imperium pondere grande suo.  
 Donec mole nimis magnâ depressus, ad instar  
 Arboris ( heu ! ) lapsum fecit abinde suum,  
 Cur non quæ Patriis habitas in vallibus Echo  
 Jam defles tanti Fata sinistra viri ?  
 Cur non quæ Clarias Musæ conscenditis vndas  
 Miscetis planctu limpida quæq; novo ?  
 Cur non consvetas per compita sueta choreas,  
 Atq; iocos rumpis, compta puella, tuos ?

H

Cur

Cur non consuetas per compita sueta choras,  
 Atq; iocos rumpis, compta puella, tuos?  
 Cur non dulcisonum deponunt Organa causam  
 Et quæverulum Phœbus stillat ab ore melos?  
 Hic vanus labor est, qui STOTTERNHEIMICA fata  
 Se satis ad metrum plangere posse putet.  
 Si posset, Musæ possent, quin posset & Echo  
 Cum phœbo posset pulchra puella meo.  
 Annus non satis est flendo: vix sufficit ætas:  
 Heu tantum est tantum succubuisse virum.

*Sev. Querntenius P. Cas. & civis  
 Erfurtinus.*



XV L.

**C**uncta potestati rigida quod subdita mortis  
 Sint: docet en IOBI à STOTTERNHEIM morte perempti.  
 Funus crudeli, qua suevit parcere nulli.  
 Ut rapuit Cræsum: truculenter ita abstulit Iruum.  
 Omnia falce necat, nil non mortale tenemus.  
 Sic mors, nec precio, nec Marte nec arte movetur.  
 Ars, Mars, si precium, morti consistere possent:  
 Mortuus haud esset STOTTERNHEIM qui jacet intus.  
 Cuius ob interitum luge nunc curia, templa,  
 Nunc Hierana domus luge dilecta patronum;  
 Magna, igitur magni, ratio est, & causa doloris:  
 Aeternum, en obijt (dolor heu!) qui Viuere dignus.  
 Vir pietate gravis, libithinâ raptus iniqua.  
 Huc studiosa cohors, & Carmine dicito Lessum.

*Civica*

*Civica turba veni lacrimis, placidissimus ille.  
Consul, confugium populi, occidit, occidit Eheu!  
Vester erat cultor, dignus vir fletibus ille.  
At curis tandem cessandum, haud totus obivit:  
Sed meliore sui vivit nunc parte superstes.  
Pro terra caelum, tristiciq; labore quietem  
Possidet, & vitam nunc jam pro morte perennem.*

A. Laurentio Hausen SS. Theologiae Studiofo  
atq; Scholae Gregorianae collaboratore.



XVII.

**Q**uid fles, quid lacrymis rigas ocellos  
Themis? quid gemitus cies Dynasta  
Senatus? cruciatibusq; longis  
Quid vexas animum Decus Lycei? &  
Quid cordis maceras tui medullam  
Pauper? nocte dieq; conqverendo!

Ciere exanimum, atq; morticinum,  
Sive sandapilam, hirquvulis cavete  
Turpiter maculare; quam paravit  
Libitina prius: Satis peremtum  
Trium, praefica, falcibus sororum  
Luget. Prendite cor, tenellulorum  
Guttulas mage pellite hirquvulorum, &  
Jovi fundite vota ter supremo,  
Voce supplice, poplite atq; flexo.

H 2

Qui

Qui manes vitio soluti ab omni,  
Nobilis generis viri, & Senatûm  
Primatis, celebris Dynastæ, Hiobi à  
Stotterheim, Patriæ patris; verendo  
Locavit folio suo. Juvant nil

Huc enim lacrymæ, nihilq; luctus  
Est, Stipendia non diurna vitæ;  
Usui data sunt breves in annos,  
Et reddenda cuiq; nil juvenus,  
Senectus nihil, ars nihil, Tagi nil  
Fulva psegmata, nec virûm potestas  
Valet; Cedere stat Neci cuivis,  
Qua nos liberat à malis; labores  
Tollit; & bona dat bonis fruisi;

Quæis videbitis hirquulis cupitis,  
Hunc (cujus datus est cinis sepulcro,) )  
Jove tergemino per ævitatem,  
Et grege Aligerum, per arva cœli,  
Spirituq; frui, meloq; grato  
Collaudare Deum Deorum, hujus post  
Terrai exodium, & poli ruinam.

Quid ergo lacrymis rigas ocellos  
Themis? quid gemitus cies Dynasta  
Senatus? cruciatibusq; longis  
Quid vexas animum decus Lycei? &

Quid

Quid cordis maceras tui medullam  
Pauper? nocte dieq; conquerendo!

*Honoris, Memor: & Relig:  
ergò F.*

Iohannes Ernesti, Nort-  
hus. Cheruscus.



XVIII.

## NÆNIA.

**C**ur jacet divus procul heu coronas  
Lavreas Smintheus? lacrymosa fila  
Cur cheliis tollit manibus sonoræ?  
Plectraq; frangit?

Quæso cur longo proceres obumbrant  
Pallio tergæ? & teneri puelli  
Funebres fundunt lacrymas? & alta  
Tempora cingunt?

Qui fit ut guttis madidis puellæ  
Os, genas, spargant? timidæq; matres?  
Ravca cur pullant sine fine sacris  
Turribus æra?

Forfan immites iterum sorores  
Vnguibus Cræso rigidis potenti  
Aut viro magno rapuere dulcis  
Stamina vitæ.

Est. Virum nuper rabies veneno  
Candidum sævo, violenta morta  
Quem Stotterheimum liobum vocabant  
Abstulit acris.

H 3

Tabi-

Tabidum sicut volucer ferace  
Folium à ramo Zephyrus virentis  
Arboris strictim rapidis procellis  
Discutit: Ecce

Hæc secus vita est hominis caduci  
Si vetant, noctis, Lachesi nigrantis  
Longius vitæ exonerare fufum  
Pignora parca.

Hic fuit sanè pietate magnus,  
Et gravis virtute vir, hic Hieræ  
Sedululus summas moderatus almæ  
Urbis habenas.

Hic fuit sanè numerare fidi  
Nestoris dignus tria secla vitæ,  
Atq; vitalem Euboicæ puellæ  
Tangere metam.

Rata sed postquam voluere fata  
Ut vale mundo, caneret supremum  
Atq; Lethææ biberet tremenda  
Pocula mortis.

Hoc iuvat, quod non stygiæ paludis  
Traditus fundo, nec is est relictus:  
Sed benè exceptus radiante summi  
Limine Cœli

Incolit tandem patriæ perennis  
Gemmeum Regnum, Elysiij beati  
Ac in æternum spaciola lætus  
Arva pererrat.

Ergò mi conjux cohibeto fletus  
Et DEUM summum reverenter ora  
Et tibi donet quoq; sancti Olympi  
Florida Tempe.

*Ab Antonio Horn Hildesiâ - Saxone  
Not. Publ. & cive Erfurt &c.*



XIX.

**P**langite lugubres *Ascræ* plangite versus  
 Plangite terricola, pangite *Cælicola*  
 Plangite *Consulti*, plangat *Sorbona* *Biturgum*  
 Plangite vos cives plangite *Hierades*  
 Atq; cuba tuba jam, plangentibus omnia cedant  
 Clangor abito procul, plangor & angor adesse  
 Pan' deus *Arcadia* calamos jam frange sonoros  
 Pean jam sileat, *Thraxq;* recede procul,  
 Tu puer abjicito pharetram, *Cytharæa* taceto,  
 Mutavit tristis gaudia nostra lues  
 Plangite jam mecum, lachrymantes pangite voces  
 Tundite jam risus, fundite jam lachrymas  
 Tristia fata jubent, vatem eheu fata vocarunt  
 Nobilis *Erdfurti* Consul *Hobus* obit,  
 Raptus & ereptus *μυσῶν* favorq; patronus  
 Vir pietate gravis, vir gravitate pius  
 Raptus & ereptus qui nil nisi magna loquutus  
 Presidium ab nostram pulvis & umbra jacet.  
 Sed heic magnanimi cur narro facta pusillus?  
 Hunc etenim novit *Sala* & *Hiera* virum!  
 Ergo ( nam nequeo lachrymas producere tantas  
 Stotternheimiadum ut flere decus valeam )  
 Finio vota dolens, moerensq; quiesco, siclesco,  
 Inq; cubent *JHOVAE* molliter ossa sinu.

Pangebat & plangebat  
 Joan Rodulfus Gverner *Erdfurt*.

F I N I S.

Zc 7100 OK

1077

MU



Z 6 7100 AK

ULB Halle 3  
002 273 780





Magnifici,  
 DN: JOHANNES  
 Hereditarius  
 Inter Consules in  
 Primis  
 Post diuturnum,  
 num exemplo Jobi  
 sustulit  
 Luctuosissimo obitu  
 cilio ad sempiternum  
 ad  
 A. C.  
 VI.  
 æternæ record  
 Collegis, & aliis  
 maestissim  
 Erfurti typis

